



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pia Desideria

Hugo, Hermann

Mediolani, 1634

Desiderio collium æternorum Christo Iesv In Qvem Desiderant Angeli
prospicere Amori Et Desiderio Svo Vir Desideriorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43734

DESIDERIO
 collium æternorum
 CHRISTO IESU
 IN QUEM

Desiderant Angeli prospicere
 AMORI ET DESIDERIO SVO
 Vir Desideriorum.

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. *Psal. 37.*

Quot mihi clam tacitis mens astuet anxia votis,
 Indicio potuit discere nemo meo.

Nemo, nisi arcani qui pectoris intima lustrat,

Quem fugit humani nulla latebra sinus.

Ille, meos gemitus, mea scit suspiria solus;

Ille, oculis etiam persecat ima suis.

Ecquis in alterius sua sensa profuderit aurem,

Sit nisi secreti proditor ipse sui?

Si tamen vlla foret speranda hac arte medela,

Ars desiderijs hac foret vna meis.

Sed neque depositas lenat auris amica querelas,

Nec desiderijs hac fit ab arte modus.

Cœperat heu! natos Rachel ululare peremptos;

B 3 M 02

Max, ubi nil flendo profuit, abstinuit.
Scilicet ipse suas facit ignis editque favillas,
Quasque pluit, nubes, ipsa resorbet aquas:
Sic melius, proprios quos fudi, combibo fletus,
Inque suum recidit iutiùs vnda sinum.
Quæ mea sint igitur, dum triste gemo, lamenta;
Non nisi nos soli nouimus, ille & ego:
Quid voueam, tacitis dum compleo littora votis;
Non nisi nos soli nouimus ille & ego:
Quid clamem, mea dum sese suspiria rumpunt;
Non nisi, non nisi nos nouimus, ille & ego.
O quoties fictas animus gerit histrio partes,
Et pugnant animo fronsque, colorque suo!
Dum patitur tragicos mens personata cothurnos,
Sæpius in mimo Roscius ore salit.
Nulla fides lacrymis, lacrymæ simulare docentur
Nec, nisi vis falli, risibus vlla fides.
Soluo ut in fletus, putat omnia tristia vulgus;
Soluo ut in risus, omnia leta putat:
Fallitur ab: nostri neque scit mendacia vultus,
Cum letor, lacrymor, rideo, cum doleo.
Vix tibi tot, Protheu, quot sunt simulantibus ora
Vota quibus laruam dant, adimuntque suam
Nemo meos Gemitus, Vota aut Suspiria nouit;
Nemo, duo nisi nos, & duo sufficimus.